

acta est? Quidquid de hac re statuatur, certum esse videtur, Aeschylum isto anno, Ol. LXXX. 2. solum vertisse, et diem tertio fugae anno obiisse; consentientibus in hanc rem Chronographo Marmoris Oxoniensis, Scholiasta ad Comici Acharn. 10. et Vitae Auctore Anonymo.*

Sed quoniam Chori mentio injecta est, lectorem aliquantulum morabor, dum meam de hac quaestione sententiam paucis declarem. Totum illud commentum de^{xx}terrore spectatoribus injecto, et de lege ista occasione lata, rejiciendum puto; neque enim quinquaginta Furiae plus terroris incussissent quam quindecim, quum spectaculi horror non tam e numero Chori quam ex apparatu penderet. † Hunc autem terrificum fuisse liquet, tam ex ipsius Poetae descriptione, quam ex Pausaniae loco I. p. 20. ed. Ald. *πρῶτος δέ σφισιν (ταῖς Εὐμενίσιν) Αἰσχύλος δράκοντας ἐποίησεν ὁμοῦ ταῖς ἐν τῇ κεφαλῇ θριξίν.* Valde autem dubito an in *modicis*, quibus Aeschylus instraverat *pulpita tignis*, locus esset quinquaginta Furiis. Quinetiam tantum abest ut quinquaginta simul in scenam prodissent putem, ut certum mihi videatur, ne quindecim quidem, sed tres tantum, in or-

* De hac quaestione plura dedi ad Argumentum Agamemnonis.

† Quum haec scriberem, nondum videram Boeckhii de Tragicis Graecis librum, Heidelbergae editum a. 1808. Citat ille Böttigeri scriptum quoddam Teutonicum, ubi vir ille antiquitatis peritus, historiam de terrore ab Eumenidum choro incusso futilem esse contendit, quia Athenis mulieres ludis scenicis adsistere non solebant. Quod quidem non satis accurate dici observavit Boeckhius, siquidem Plato (Gorg. p. 502. D.) poesim dramaticam vocat *ῥητορικὴν τινὰ πρὸς δῆμον τοιοῦτον οἶον παίδων τε ὁμοῦ καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ δούλων καὶ ἐλευθέρων.* Alibi etiam inter spectatores tragoediae recensentur *αἱ πεπαιδευμένααι τῶν γυναικῶν.* Docet nos Aristophanis interpres ad Eccles. 22. mulieres impudicas certas quasdam sedes lege definitas habuisse, decretum suadente Sphyromacho, *δεῖ τὰς ἑταίρας ἐγκαθίζομένας λαθεῖν.* Mihi vero nondum liquet *matronas* Atticas, florente adhuc republica, hujusmodi spectaculis interfuisse.